



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. II. Ordo, seu Congregatio Cluniacensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

## CAPVT II.

*Ordo seu Congregatio Cluniacensis.*

**C**Luniacensis familia anno 91. ab Odone Cluniacensi Abbate exordium sumpsit, & nomen. Hic enim vir doctrina atque sanctitate præstans, sancti Benedicti disciplinam, quæ iam (quod natura fert in omnibus ferè rebus) senuisse videbatur, magnaque ex parte laxata esse, ad pristinam formam reuocare aggressus est; quod etiam perfecit. Cuius exemplum secuti complures alij Abbates in tota fermè Italia, Hispania, Germania, Anglia, in suos ipsi quoque greges reformandos incubuere, idq; eodem successu, & fructu: qui deinde vno spiritu, ac vinculo colligati (adhibita etiam Romanorum Pontificum auctoritate) quotannis conuenire consueuerant ad ea tractanda & decernenda, quæ ad tuendam disciplinam pertinebant. Magna omninò ea immutatio fuisse dicitur, in qua planè ad duo millia cœnobi-  
rum restituta, & sana-  
ta scribun-  
tur.